MICHAELIS ASPRI DICEARCHIDOS HIATUS UBI DESCRIBIT QUI IUXTA...

Michele Aspri

Digitized by Google

b

Michael Benedicto Maſtiano.
S. P. D.

d Eſtinaueram mi Maſtiane. e iurata penè carminum petulantia, ad ſeueriores Muſas ignobile quod mihi erat ocium relegrare: Quando ecce amicorum nonnullorum preculis, priore inducta ſententia coactus ſum iterum, identidem, quod improbaueram ſequi. Habes igitur noſtros hos luſus, ideſt extemporales animi motus, non dignos quos bonorum ſtudiorum diſpendio legas, ſed quos excurſione quadam, & ea quidem praepropera, amici gratia praeteruoles. Caeterum & illis quidem qui me rogarunt non erit impune, nam dum lautas, & diligenteis expectant epulas, cum uiderint ſordidas, & fumptuoſas eſſe paratas, uel abibunt ieiuni, uel tantum mihi tribuiſſe pertaeſi, noſtram in poſterum latere imperitiam permittent. Deſcribimus, qui iuxta Puteolos è terra oborti ſunt, campanos igneis, rem cognoſces è carmine Vale.

Adouardus Gualandus.

Non gaudet te uate minus dicearchidos umbra,
Quàm prius horribili mœruit excidio
Cuius ab interitu nomen tua Muſa perenne
Aſſerit; extet adhuc interitura fuit.

MICHAELIS ASPRI DI-cearchidos Hiatus ubi deſcribit qui iuxta Puteolos è terra oborti ſunt campanos ignes.

Michaelis Aſpri. Dicearchidos Hiatus.

AVdieram triſti ſupremum arſiſſe fauilla
Iudæas uerbeis, tactas uiolentius ira
Cœlicolum, denſeq; (nefas) obnoxia fumo
Nubila raptatus Phaëton cum uota peroſus
Arſuræ pœnas, diro dedit omine terræ.
Audieram & memoranda tui miracla ueſeui,
Aetneoſq; globos quibus addere plura uolucris
Auſa & ſi fama eſt, poterant ea ficta uideri,
Viciſſent ueteres niſi monſtra recentia caſus.
Eſt locus Auſoniæ, Ditis ſpecus, antra, lacuſq;
Vatis cumeæ, quò non impune ferarum
Vlla tenet curſus, aut deſuper explicat alas,
Vlla auium caſura ſimul, ſcatet undiq; rima
Putris; habentq; intus deformia regna feroceis
Quos nutriant igneis, quæ ſulfura, quoſq; uapores
Excidium in noſtrum, niſi ſi natura rebelleis
Compeſcat dictis animos, & leniat iras.
Hunc inter, muroſq; tuos Dicearchis hiatus
Ore ingens, uaſtus formidanduſq; colonis
Dira dedit. Dum ſæua paras inuadere Cæſar
Ionio mirante freto, quæ ſubdita Regi
Threicio, languent Romanum littora nomen.
I fœlix pietate duce: Ecce Epeirus omnis
Iurat in aduerſas Aquilas, patet hoſpita Crete
Romanum uenerata ducem, non amplius audet
Pelion Emathias procul oſtentare phalangeis.
Pellæos ſuperat fineis Orientis ad oras

Fama, catenatoſq; iterum Carthaginis altæ.
Et libycos amneis, regnatoremq; ſuperbum
Certa refert, memoratq; urbeis, & nomina Regum,
Alteriuſq; orbis populos incognita regna
Victa dediſſe manus, nulliſq; coercita frenis
Ante, ſalutiferi uenerari principis arma.
Hic, tua, mens agitat, quàm ſit metuenda poteſtas
Effari, ſeries ſed me longiſſima cæſar
Geſtorum obruit; interpellat auara canentem
Libertas, prohibetq; pedem, & ueſtigia monſtrat
Priſtina. Ad incœptum reuocor, fidibuſq; remiſſis
Tartareos motus, inſopitaſq; fauillas
Ipſe canam. Tu numen ades cui ſenſa latentis
Fas eſt noſſe uiæ. Tu noſtri uerus Apollo
Carminis Autor eris. Medium reſecabat Olympum
Immenſi plaga, circuituſq; Poli, ut ſua certis
Tempora diuiſit ſpatijs Autumnus, & agris
Arboreas mandauit opes, iam ueſper aduſq;
Repſerat occaſum, quando ecce ad ſidera manes
Infauſtam eructant pluuiam, geminantq; ſub Æthra
Stelliferum, furuas quas miſcuit altus arenas
Ternarius gurges, ſecus haud metuenda carybdis
Effurit inſanuum, Si quando ferocius urget
Ionium per ſaxa fretum, ſtrepit horrida nautis
Congeries, penituſq; imo ciet æquor ab æſtu.
Hinc trepidare animis commota Neapolis, idq;
Inſolitum uiſu, pluuia miſcerier atra
Sopitum cinerem, cum nulli ſidera Nimbi
Inuoluant, liceatq; Poli diſcernere metam.
Nulli certa patet quæ ſit ſententia cunctis

Succeſſusq; alitum murmur præſagia menteis
Diuerſas agitant, confert exterrita terræ
Nuper ueſano inuidioſa tonitrua motu	12.
Plebs, fingitq; ſibi quæ nollet credula ſigna
In rerum iuraſſe uices, meditatur, & alget
Ingenteis caſus, quando ſubito ecce per Auras
Auditur ſonitus, cryptis delatus ab imis
E moti procul urbe ſoli, quo perſtrepit omnis
In latios fineis, campano quicquid ubiq; eſt
Addictum ruri, timuit Gaieta, ſimulq;
Setia, Minturnæ, nec non & trebula lactis
Diues, Atina uetus, uicinoq; addita Liri
Arua cales, tutoq; minus ſub colle Venaphrum.
Quin etiam caput obducta uulturnus in unda
Altius immerſit. Surrentinoq; receſſu
Vix tutus latuit Sarnus, uicinus Acerras.
Pompeioſq; inuadit rumor, quo alta fatiſcunt
Saxa dicarchææ meriti cognominis urbis.
Continuo ingeminat clangor, ſtrepit obſita tellus
Mole ſua, nimiumq; dolet pia uiſcera tale
Concepiſſe nefas, cui non obſtare furenti
Orbis in excidium poſſit. crebreſcit ubiq;
Horrendum murmur; qualis cum ſaxifer Aetna
Concutitur, lapideſq; uomit, ſeu machina muros
Impetit hoſtileis, uaſto ſeu murmure cœlum
Sæuit in arrectos colleis, uel fulmine denſo
Iuppiter elatas demittit ad infima turreis.
His intenta manet uenturi neſcia plebes
Et ſtrepitu confuſa ſilet, mox atra ſerenum
Subſtulit umbra Polum, & ſtellas amplexa, tenebras

Offudit nebula ingenti, reſolutaq; paſſim
Inſpargit bibulas cineres, nimboſq; tenaceis
Euomit oppletos limo, uariiſq; figuris
Horrendos aſtruit humores quibus occupat omne
Cœlum. Illi propior fit denſa, magiſq; liqueſcit
Proximior terræ Syluas aſpergit, & agros
Mox. Dira eſt rerum facies, pluit undiq; ſæua
Illuuies: uidiſſe graue eſt aſpergine turpi
Succubuiſſe domos, quibus eminus aurea fulget
Parthenope, campoſq; omneis patet uſq; relictas
Qua cumas regio, quaq; alluit Amphitrite
Tyrrhenum littus, Capuæ qua diuitis ora
Terminat, auſæ olim Romanos poſcere faſceis.
Flaueſcunt ſalices circum Sebethidos undam,
Deſuper Idalias Myrtos bacchatur, & horret
Cæruleus ſqualor. Non te peneia laurus
Relligio tutam, non te decus inclyta amorum
Citrigenum, texit Mater, Buſto apta cupreſſus
Aeternum uictura alget,, limonia ſordent
Rura procul, feſſis abeunt in tartara ramis
Arborei fœtus, color unus pinguit ubiq;
Syluarum, hortorumq; oram, campeſtribus unus
Aſpectus. tali ſeſe offert candida uultu
Terra parens, dum bruma riget, dum frigida ſenſit
Exceptam glaciem nineo uelata liquore.
Talis terra parens, color hic mutatus ab illo
Ni foret, inſequitur mixtis plangoribus ortus
Incertus rumor, ruit implacabilis urbis
Cuncta cohors, certantq; metu quæ nã hoſpita portet
Prodigia edidiciſſe manus. confecta maligno

Turba ſubit cœno, quæ ſedibus acta pauemus
Vicinum hoſpitium ſupplex ad mœnia tenſis 13
Orabat manibus . uidiſſes candida matrum
Bracchia monſtrifero limo conſperſa, ſuoſq;
Porrecta in natos, quibus eſt induta figuris
Diuerſis facies, prænſabant ubera nati
Effuſi in lacrimas (dictu moſerabile) turpi
Addictas cineri, nec largo flumine notas.
Mira illis ſunt ora ſitu, conitantur onuſti
Ponè uiri, ſqualletq; atro circum illita mento
Illuuies, colloq;, & gutture mixta ſupremo
Incedit macies, ſcapulaſq; & tempora circum
Cæruleæ nigror ſeſe comiſcet arenæ.
Hinc exaudiri lacrimoſa uoce parenteis
Compellare graueis pueri, timidæq; puellæ
Confuſoq;, & triſti miſcere omnia queſtu.
Mirantur ciues, uerbiſq; hortantur amicis
Hoſpitio exceptos, lymphaſq; ignemq; miniſtrant
Seruitio enixi, certantq; abſtergere nimbos
Infameis, carioq; trahunt ſermone quærelas.
Atq; aliquis, quo nam diro ſuffimen hiatu
Dic hoſpes uolitat? uapor unde hic? quæ mala ſerpūt
Excidium in noſtrum? patuerunt ne alta Puteolos
Inuaſura iterum ueſuui uiſcera? uelſe
Attollunt Acherus iacæ fauces, fumantq;
In ſuperos (triſte omen) an ultima canduit ætas
Et placet euerſis finem præſcribere rebus?
Ec quis erit finis? ſcrutanti talia certi
Affertur nihil: horrenteis nebulaſq;, malaſq;
Commemorant pluuias, & quas finxere timores

Aëreas facies, igneiſq; & ſulfure mixtos
Baulorum ex adytis, magno cum murmure fumos.
His ferrugineis noctem ſuper aëra bigis
Eubectam inſumunt, mœſtamq; auertere mentem
Oſtento nequeunt, quin ſe maiora uidere,
Aut uidiſſe putant, tanta eſt ea cauſa timoris.
Nox abit, at ſeſe igniferis aurora capillis
Extulerat, reuebuntq; Polum, rerumq; colores
Solis equi. Speculam ſortitur quiſq; iacenteis
Inſpecturus agros, madidoq; obnoxia paſſim
Arua luto. talem referunt traxiſſe figuram
Quondā orbem, proprio cū Iuppiter aggere claudi
Vltriceis mandauit aquas, nimboſq; furenteis
Compreſſit, grauidoſq; amneis, quibus obruta tellus,
Impia ſacrilegi purgaret crimina facti.
Iam tandem bacchata ſatis compreſſit ut auſus
Veſana illuuies, propius cognoſcere caſum
Magnanimi cupiunt animi, primuſq; ſenatum
Infert ſe medium, properatq; incendia noſſe
Cæſarei cuſtos regni, qui iura ſuperbæ
Diuidit Auſoniæ, quo non clæmentior alter
Eſt princeps, meliorúe, aut obſeruantior æqui,
Ergo ubi Tartareus procul eſt conſpectus auernus
Conſederet Duces, triſteiſq; uidere ruinas,
Vt cuiq; eſt animus feruet, furit undiq; turba
Exitium mirata ingens, tremit excita tellus
Et uomit horriſonas cautes per inane feruntur
Aſſimiles leuibus plumis, ſeu concita uento
Vt leuis alga ſolet, uel ſi bacchantibus auſtris
Tollitur impunis ſublatus ad Aethra puluis.

I modo ſemuſtos lapides refer alta uetuſtas
Aetnei montis. iactiſq; molaribus orbem
Impetitum, accretoſq; globos, incendia qualeis
Continuent æſtus, uincunt præſentia famam.
Atq; ego ſic quondam ſtolidæ mendacia plebis
Rebar & inſano cauſas texiſſe poëtas
Carmine, cum ſciſſi legerem miracula montis
Venturamq; orbi cladem, quando ultima ab igne
Sæcula diuerſam accipient, redeunte, figuram,
Confuſam informanti tellure, ſuoſq; meatus
Viderit auerſos aqua, cumq; procacibus undis
Nullus erit limes, cœloq; infenſus & exlex
Sæuiet in proprias uires uiolentibus ignis.
Hæc quoq; uaniloquos commentos ſomnia uates
Iam credi poterat, ſed cum flagrantia cernit
Vulgus iners, procul audaceis incendia maneis
Euomere ad ſuperos, quæ non Niluſq;, Paduſq;
Non Ganges, uolucriſq; Hiſter ſedare. Mariſq;
Inflati poſſent fluctus, tunc bracchia uero
Septa fides tendit. uiſiſq; edocta, repoſtæ
Aſſerit ætatis, quos non bene nouerat æſtus.
Haud procul eſt urbem ſpecus, inde exerta Barathri
Ora igneis, lapideſq; cient, tolluntur ad aſtra,
Emoti ſecreta orbis, conſtare uidentur
Non elementa ſibi. tanta eſt diſcordia, uixq;
Mole ſua contenta eſt terra fidemq; peroſa
Et cœlum Ponto, & Pontum diſcriminat igne
Di quibus umbrarum, Barathriq; immenſa poteſtas
Styx, Phlegetonq;, chaoſq;, & inania regna profundi
Quæ mihi uos fremitus, caliganteiſq; tenebras,

Excitet, horriſonas quæ cauſa maligna ſub auras
Attollat flammas, ſcopuloſq;, & uiſcera terræ
Ructet, & informi maculentur ut omnia cœno
Pandite, uera dedi, ueris animum implet Apollo.
Eſt quoq; cur terras ſubter natura cauatas
Exerceat ſua iura, intus patet intima tellus
In cuneos porrecta ſuos, latebrumq; cauernas
Occuli inq; adytis ſcindit, panduntur hiatus
Incluſis euris, libuit ſi forte uaganteis
Credere præcipites obſcuris noctibus alas.
Nec tamen hoc mirum eſt, nam cum Deus oĩa certis
Diuideret ſpatijs, ſolidos adnexuit igneis
Connexo cœlo, nebulas conſiſtere in aëra
Imperat; hoſpitium uoluit fluuialibus undis
Eſſe ſolum quæ ſæpe ſuo dum margine gaudent
Liberiore frui, gremio conduntur alumnæ
Telluris, quas ſi (eſt rerum ut ueſana cupido)
Interea cœpti pœnitet, ſublime laborant
Exeruiſſe caput, tunc multo flamina nixu
Succedunt, tentantq; uias, quas obice nullo
Sperant obſeſſas ductis in tartara rimis.
His ubi nulla uia eſt circum atria diſſilit atrox
Spiritus introrſus, clauſtriſq; erumpere tentat
Indignas qui forte uias ſi frigore clauſas
Inuenit, attractaſq; gelu denſante calore
Effurit & diro prorumpit in Aethera motu.
Ingens fit ſonitus, quaſſiq; ad ſidera montes
Impune exultant, etiam hoc quando humida tellus
Littoreis adnexa plagis agitatur ab æſtu
Cernere erit. Nam ſæpe mali cum ignara futuri

Hoſpitio admiſit uentorum in uiſcera tumas
Obſtanteis fluctus (ſaeui inclementia ponti)
Sentit, & externas acies pariterq; tremiſcit
Ciuileis motus, neq; habent ſua uota ſalutem
Cur ſperent ſed uicta ſuo, perit excita foetu.
Interdum (ſecreta libet cognoſcere rerum)
Alterius cauſa eſt, neſcit uis ignea uireis
Continuiſſe ſuas, paulatimq; extuat uſq;
Quò uictrix erumpat, dehinc caligine opaca
Seſe offert, aër, coelum, tractoſq; propinquos
Inuoluit nebula, tremituq; excuſſa ſub auras
Aſpergit patulos diductis ignibus agros.
Hinc mugire ſolum toties, Sicania rura
Et caecos ructare igneis, lapideſq;, cauernas
Credimus aetnaeas. uatum mendacia ride
Noſtra aetas ueterum, ructant incendia fauces
Non haec Enceladi, quaſſae Dicearchidos arces
Sunt teſtes, campiq; alta ſub nube latentes
Informis facies, humani corporis artus
Hoc itidem oſtēdunt, liceat componere magnis
Parua, ſub infectis nam ſi contagia membris.
Humores retinent, mater natura meatus
Exigit & cuneos tentat, quos ſorte rebelleis
Si repetit, furibundo tumet, tremor occupat artus
Frigidus extremos, quos feſſos ignea febris
Extemplo inuadit, caldiſq; canalibus efflat
Ingentes flammas, poſtquàm conſpecta uorago
Eſt propius, triplex diſcernitur humor anhelis
Faucibus effundi. Spiſſus caligine tetra
Puluereiſq; globis primus, qui uerſus in imbreis

Arua ſuper, populoſq; pluit, fœdataq; liquit
Omnia, Sulphureas flammas uomit alter ab illo
Ingentiſq; orbis lapides, quos tollere uires
Non hominum poſſent, non quæ Germania læto
Præcipiti nutrimenta dedit, numerare poteſtas
Nulla datur. Vincitq; oculos per littora grando
Congeriem ſtructura grauem, mons creſcat ad aſtra
Planities quæ nuper erat, deiecta rotatu
Horifico ſublime ruens, frangitq;, feritq;
En iterum tactas miſere Dicearchidos ædes.
Tunc refluas Neptunus aquas, contraxit & amens
Poſtremis ſubſedit fluctibus, hauſit arenas
Tunc primum, ſcopuli latuere, eſt littoris ora
Quod modo pontus erat, uix tum natura propinquis
Prouida cauit aquis, ſitientes æquore piſces
Incerto fluitant curſu, perituraq; tentant
Fundamenta maris, liquidi Muræna profundi
Incola, deformeſq; alto ſub gurgite Phocæ
Hoſpitium affectare ſuum longo agmine cernit.
Amenteis cephalos, ſoleaſq;, & corpore paruo
Sed magni precij Rhombos, non ultima ſignat
Sepia, nigranti, nec quicquam ſemita ſulco.
Deſerit, alta petens, ſcarus, ſublimia terror
Non igni. arrecta ſtrepitus aquilonibus aure
Delphini excipiunt, ſubterq; latentia condunt
Aequora dorſum immane, ſubit ueſtigia Silla,
Et complexa fouent, ſemotos oſtrea cautes.
Næc tamen ut fugerent conceſſum eſt omnibus; alti
Intercæpta uia eſt, non nullos flamma, qui ſciam
Ignifere forauere faces, tremefacta relictos

Abſorſit tellus . ſaxum tulit ille peruſtum
Incautus . longo uiſuntur littora tractu
Strata peremptorum ſquamoſo tegmine, ſeq;
Conſpiciendam offert, nulli prius obuia tellus.
Portenti ſeries hæc eſt. Vomit alta uoragi
Non qualeis olim fumos . ſed mitior auras
Exhalat tenueis . hic tertius humore hiatus
Conſpecti fuerat, finem ſortita laborum
Nondum. intenta manet plebs, nũc maiora minãtur
Proximiora urbi loca . uiſum eſt poſcere pacem
Prodigijs, meritoſq; aris imponere honores
Et fuſas adhibere preces : pia uota ſacerdos
Nuncupat ante aras ; una eſt ſententia læſos
Eſſe deos, meritoq; pati hæc incendia terram.
Tu Pater omnipotens ſummi moderator olympi
Qui loca diſpoſitu firmas, cui uiſcera terræ
Et rerum ſecreta patent, contraria uotis
Si noua monſtra ferunt, compeſce benignus hiatus
Imperio qui cuncta regis . uertatur in hoſtem
Prodigiale nefas . fatales ſentiat igneis
Barbaries inimica Dijs, tibi debita ſoluant
Munera chriſticolæ, lætoſq; ad munera faſtos
Adijciant proles ſanctæ bene conſcia uitæ
Gaudia poſſideat, ſublatiſq; ocia curis
Nectat & ignivomæ temnat miracula terræ.

Finis.

5835736

17

1083. 22

1083.22

Digitized by Google